Specimen EPIGRAMMATVM

IACOBO PRIMO

Britanniarum Regi

Dicatum

A

G. CRAGIO I. D.

LONDINI

Ex Officina M. F. 1624.

Specimen

EPIGRAMMATUM

IACOBO PRIMO

Britanniarum Regi

Dicatum

a

G. CRAGIO, L.D.

LONDINI

Ex officina M.F. 1624.

AD REGEMEM.

PErsa suo Regi pauper de flumine munus
Hausit, & acceptum Rex venerande fuit.
Euphratis dedit hic, ego do Permessidis haustum,
Et de pierio pocula fonte tibi.
Si capis, & gratum est: totum Permessida ducam,
Et Tamesis sacra turgidus ibit aqua.

II.

SAcrorum genibus Regum rudis illa vetustas
Et dextris solita est basia ferre Deûm.
Nos qui te merito veneramur maxime Regum
Dignamur dextræ basia ferre tuæ.
Nempe Deûm socia qui protegis omnia dextra;
Non alia melius parte colendus eras.

III.

RElligio tecum Scotorum in finibus orta,
Et tecum in cunis pæne reposta fuit.
Nec tantum nata est, sed tecum crevit & aucta est,
Et visa est nobis pæne gemella tibi.
Vtq; puer quondam, nunc vir perfectus haberis,
Sic per te culmen nuper adepta suum est.
Ergo Relligio tantum nunc distat ab illa,
Quantum à te distas maxime vir puero.

IV.

ASsistit jus fasq; Iovi (si credere fas est)
Vt justum sit quod Rex sine lege velit.
Assistit jus fasq; tibi dignissime Regum
Vt quicquid justum est hoc sine fine velis.
Fallor, & id fas est de te quoq; credere, quando
Quæ sunt justa velis, nec nisi justa velis.

V.

CVm species Rex magne feris Natura ministret
Queis hostem valeat noscere quæq; suum:
Cur

Cur qua te noſcant nullam Natura miniſtrat,
Qui tot venando ſternis ubiq; feras?
Nempe feras à te tutari neſcia noto,
Te non prænotum maluit eſſe malum.

VI.

CVm ferus ad pugnam toties te concitet hoſtis,
Ludere cur tantum Rex *Iäcobe* ſoles?
Nempe datur cuivis pugnando vincere poſſe,
Hoſtes ludendo vincere poſſe tibi.

VII.

CVr Chriſtus Domini ſperanti plurima nil das,
At Chriſtus Dominus ſpes jubet eſſe ratas?
Caſus ubiq; valet: patrius ſibi caſus habendi eſt,
Conveniens votis eſt minus ille meis.
Sit Ieſu rectus, quia non ens nominat ut ſit,
Communem patrium fecit utrique Deus.
Vt mihi des quæ ſunt, proprium tibi reddo dativũ,
Nec Chriſtum Domini te voco, ſed Domino.

Ad Carolum Principem.

AVgusto sub Patre geris res *Carole* nostras,
Auspiciisq; Patris commoda nostra juvas.
Et quæ te quondam sensura Britannia Regem est,
Nunc consultorem sentit adesse sibi.
Ergo dedit multis regnum natura, merere
Regnum sed soli contigit ante tibi.

II

PRincipis exemplar digni si *Carole* quæris,
Quodq; olim fugias, quodq; sequaris, aves.
Non ego *Zenonem* jubeam vel adire *Platonem*,
Et vetus et mancum est quicquid uterq; docet.
Nec jubeam *Iusti* quamvis pia dogmata *Lipsi*,
Vel *Machiavelli* scripta nefanda legas.
Omnis ad exemplar formetur vita paternum,
Tu regere imperio non meliore potes.

Ad Ponticum.

SEptimus innumeris cũ nummis labitur annus,
Dum quæris Domino complacuisse tuo.

Octa-

Octavuſque fugit, dum quæris quod tibi quæras;
Nonus dum quæris Regis habere manum.
Poſtremò remoras dum quæris tollere cunctas,
Fecerunt vacuum te tria luſtra ſenem.
Hei mihi, quærendo tempus conſumis & æra:
Vis fieri dives, *Pontice*? quære nihil.

Ad Paulum.

INter quæſtores unus mihi Paule videris,
Fidus, et officio dignior eſſe tuo.
Non tamen hoc dubio didici ſermone popelli,
Difficile eſt veſtram teſte probare fidem.
Quam reliquos probat eſſe malos opulentia dives,
Tam tua paupertas te probat eſſe probum.

In Gillonem.

DEfunctæ uxoris Gillo formavit in ære
Effigiem, multa quam pietate colit.
Et quoties ſpectat, toties amplectitur ulnis,
Oſculaq; adjungit, blanditiaſq; facit.

Mira viri pietas! Vxoris Gillo malignæ
Relliquias gaudet sæpe videre suæ.

Ad G. Buchananum.

SInt versus *Buchanane* tui vel Apolline digni,
Fas tamen est unum displicuisse mihi.
Nam dolet extremo tandem consistere versu,
Extremus versus quod foret ille tibi.

In Iul. Scaligerum.

S*Caliger* obscura depingens arte poëtam
Iudicio ingenium subjicit omne suo.
Scaliger obscura se præstans arte poëtam,
Iudicium ingenio sustulit omne suo.

Ad G. Eglisbemium.

QVod tibi cum patrio est *Eglisbemi* vate duellũ
Aspexi magna non sine laude tua.
Et quamvis multi *Buchananum* vincere credant,
Tu solus palmam me tribuente feres.

Scilicet

Scilicet in quarto patriæ das cantica solus,
Queis videor melius tergere posse nates.

Ad Damianum.

VXorem affectu tractas *Damiane* paterno,
sed vix aspectum sustinet illa tuum.
Crede mihi nescis juvenem tractare maritam,
Te cupit esse virum, non cupit esse patrem.

Ad Navolum.

ARtibus ingenuis metuis committere natos
Nævole, quod multos infatuare solent.
Sed frustra metuis; fatuos de semine patris
Ars iterum fatuos reddere nulla potest.

Ad Avitum.

SÆpe doles miserè transactæ damna juventæ,
Et velles primos posse redire dies.
Condoleo, vitulumq; tibi mactabo bidentem,
Stultitia sapiens factus *Avite* tua es.

Ad

Ad Læliam.

CVr semper laudas, imitaris *Lælia* nunquam
Alcestæ factum? *L.* Res quia rara fuit.
Si faceres non rara foret: veram adjice causam,
An pro se vivit vir tuus ipse satis?

Ad Geddaum.

L*Indesi* tibi mitto libens *Geddae* libellum,
Quem volui esse meum, *Neutonus* esse tuum.
Vicit amor socii ne dicito, namq; ego cum sis
Alter, dico meum, quod vocat ille tuum.

Ejusdem Epitaphium.

QVid Lachesin durasq; querar Geddæe sorores
Ante tuum longè te rapuisse diem.
Crede mihi non te solum rapuere sorores,
Sed dum te rapiunt, me rapuere mihi.

In Broderium. I. C.

BRoderium nostra cum sors plantarit in urbe,
Vt prole & Latia lege beata foret.

Cur

Cur nos tam densa fœcundus prole beavit,
Sed nihil in latia lege beare valet?
Scilicet uxorem dederat quæ gignere posset,
Nullam quæ posset jura docere dedit.

Ad Turræum.

VIrtutes Turræe tuas ructare volebat
Rufus, et ex alto mittere verba loco.
Sed velut Æsonidæ causam dicturus ad urnam
Palluit, atque unum vix bene dixit ave.
Scilicet aptatis solum ad convitia buccis,
Non potuit titulos contemerare tuos.

Ad Pollinicum.

QVi tibi et uxori placeat Pollinice servum
Scribis in antiqua te reperisse domo.
Gratulor, et servi virtutes laudo, sed unum
Non placet, uxori quod placuisse refers.

Ad

Ad Paulum.

SÆpe bonam multis causam de millibus optas
Cur mare diversis itq; reditq; vadis.
Consule Causidicos et magnos Paule patronos,
Hi faciunt causam quamlibet esse bonam.

Ad Gallum.

DIceris obtusas semper tractare machæras
Vt valeas hostes sternere Galle tuos.
Crede mihi frustra tantum te Galle fatigas,
Vt valeas hostes sternere, sis medicus.

Ad Faustinum.

VT vulgus *Faustine* fidem tibi præbeat, omnes
Frustra adhibes testes ad tua verba Deos.
Dic te mentiri, si vis tibi credere vulgum,
Nam verum hoc vulgus vel sine teste putat.

Ad Paulum.

QVod pro defunctis tantū sibi *Paule* canendo
Lucrantur Monachi sacrificiq; doles.

Sed

Sed frustra, nam si tantum sibi *Paule* lucrantur,
Pro vivis Monachi sacrificiq; canunt.

Ad Ponticum.

VT vetulum multumq; senem te Pontice credam,
Enumeras canos, ut *Melibæus* oves.
Crede mihi centum non credo Pontice canis,
Deliro capiti credere malo tuo.

Ad Album Pastorem.

ALbe fidem solam media quid quæris in aula?
Hîc spe, non sola vivitur Albe fide.

Ad Avitum.

PLurima te nobis semper debere fateris;
Sat scio, nam semper solvis Avite nihil.

Ad Aulum.

COnsiliũ cur sperno tuum frustra *Aule* requiris:
Consilium laudo, sperno quod *Aule* tuũ est.

Ad

Ad Quintium.

VXorem facientem aliquid sibi Quintius optat,
Optatum obtinuit, cornificamq; tulit.

Ad Gallum.

GEmmas atq; aurũ multæ jaculantur arenæ,
Sola Dieppensis Galle cacare potest.

In Plagiarium.

TAle tibi carmen qualis tibi contigit uxor,
Quæ neq; tota tua est, quæ neq; tota mea est.

Ad Lectorem.

ARgutus tibi forsan erit meus ille libellus,
Cornutus forsan tu mihi lector eris.

Ad Zoilum.

QVod nihil inveniam sine magno sæpe labore,
Ingenium culpas Zoile sæpe meum.
Sed frustra culpas: sine magno namq; labore
Stultitiam invenio Zoile sæpe tuam.

Ad

Ad Ro: Aitonium Equitem.

NObilis *Aitoni* cui dictant carmina Musæ,
In sacras veniet si liber iste manus:
Nil tibi displiceat quod in illo plurima cernas
Vel mala, vel certè queis meliora velis.
Namq; meum velle est ut possum scribere carmen,
Vt vis sed carmen scribere posse tuum est.

Ad Aulum.

HIc breuis et curtus forsan liber Aule videtur,
Sed Regi ad longos non vacat Aule modos.

FINIS.